

Cum melle rosato formentur pillulæ, ab eo sumenda in aurora, cum custodia. Deinde:

R. Mellis rosati
Syrupi de betonica ana ꝑ. j.
Aquæ saluæ ꝑ. iij.

Misce pro vno & sic pro aliis quinque. Deinde:

R. Pillularum aggregatiuarum ꝑ. iij.
Trochiscorum alhandal gr. viij.

Cum melle rosato fiant pillulæ, & ea sumat in aurora cum custodia.

De tumore pedum.

Si & manè & vesperi pedes semper tument: signum est materiam ibi firmatam, quæ resoluatur ex saluia, rosa, chamomilla, decoctis in vini & aquæ æquali portione, cū modico salis: & in eo teneat pedes manè & vesperi, ante cœnâ, beneq; abluat. Si verò vesperi tantum intumescant, manè non, cruditatis signū id est, & ratione victus corrigendum: & trochiscis de absinthio vel rhabarbaro. Quia obstructions tollunt, & serosos humores per vias vrinales educunt ac hepar roborant.

CONSILIVM CXXXIII.

De catarrho defluente ad diuersas partes, & efficiente dolorem in periostiiis, vnde suspicio de morbo Gallico, cum affectu quodam melancholico.

HX relatione nostri Hebræi comprehendit duo. Primum quod noto ego, est, quod habet aliquam dispositionem ex parte rei, & non ex imaginatione: & est quod patitur defluxum catarrhi, qui veniens à cerebro ad partes diuersas, facit diuersos dolores. Huic dispositioni possumus credere. Postea patitur passiones quasdam imaginarias, quas non patitur ex parte rei. Dicam primò de catarrho. Causæ catarrhi fuerunt fortes, scilicet procatarrctica, cum esset in balneo illo, tunc incipit ille catarrhus. Hæc fuit quidem causa primitiua: sed multa dederunt occasionem huic causæ primitiua, vt commoueret antecedentes: nam & hepar est calidum, & ventriculus habet frigidum, & hæc diuersitas est valde mala in conseruatione sanitatis. Et quando est hepar calidum, & ventriculus frigidus, facillimè multiplicatur catarrhus. Nam in ventriculo frigido cibus non concoquitur: hepar autem avarum propter caliditatem igneam trahit humores hos crudos, etiam ante tēpus, & sic plurimi humores crudi distribuuntur per venas, quia secunda concoctio non corrigit primam & præcedentem, & sic fit necessariò euaporatio ad caput. Hinc omnes illi qui habent ventriculus frigidum & hepar calidum, semper habent repletū caput, & hi etiam facillè patiuntur affectionem hypochondriacam. Hæc est naturalis eius dispositio, quam facillè mouent causæ externæ: solet enim comedere plurima, quæ possunt aggregare humores crudos. Et causa illa procatarrctica quæ fecit vt deueniret ad actum catarrhi, ad quem naturaliter dispositus erat, fuit istud balneum: nā ex isto balneo colliquati sunt humores: & illa vini potatio Germanorū maximè replet ca-

Dolores Gallici a doloribus innotuantur quomodo dignoscantur. Periostium quid sit, vide pag. 142.

Aput, quia resoluunt humores, & fluere faciunt congelatos à frigore. Hic igitur catarrhus cum incipit, semper ita durauit. Nā videmus in illis fluxibus quod cum semel incipiunt, semper postea illam partem afficiunt: vel quia illa pars facta est imbecillior, vel quia ita consuevit natura, vel quamcunque aliam causam velimus reddere. Et sic etiam videtur contigisse in hac parte. Vtrum sit infectio Gallica: nam dolor est circa crura & periostium, qui loc⁹ videtur esse proprius morbi Gallici, nam per hoc signum distinguuntur dolores Gallici à doloribus articulorū, quia hi sunt in iuncturis: dolores autē Gallici sunt inter iuncturam & iuncturam. Item deciderunt pili ex supercilio. Hæc sunt quidem coniecturæ, nō tamen habent aliqua signa certa. Hæc signa non possunt nos inducere, quod fuerit morbus Gallicus: sed solum fuit ille catarrhus, qui occupat partes istas diuersas. Quo ad affectum melancholicum, quia multa imaginatur sibi, quod patiatur morbum Gallicum, quem tamen non patitur: ergo credo in tali habitu esse humorem melancholicum, tum quia totum illud genus Hebræorum est ferè melancholicum, tum quia sanguinem habet crassum, & hepar calidum. Et sic nō est omninò expers ab affectione illa hypochondriaca, quia habet hepar calidum, & ventriculus frigidus: & si non patitur melancholiam hypochondriacam, incipit fieri, & habet per totum ambitum humorem melancholicum. Hos duos affectus vt tollamus, quid agendum? Ego vellem omninò dare aquam balnei, quia habet catarrhum, & habet dolores circa vniuersas partes corporis. Catarrhus est frigidus, & occupat omnes partes corporis, & sic non est omittenda occasio illa, & est etiam tempus. Manè darem minoratum, item syrupum, vt oxymel, cum aqua betonicæ, saluæ. Euacuarem cum confectioe hamech, vel pillulis aggregatiuis, cocchiis, &c. Purgato corpore, statim mittatur ad balneū. Fortè etiā hepar cum aliqua missione sanguinis possemus purgare ab humore melancholico. Aqua illa corroborabit ventericulum, & distribuatur per venas, & corroborabit totum corpus: & sic, & iuncturæ, & musculi corroborabuntur. Euacuabit etiam hæc aqua per sudorem humorē melancholicum, vt ego experientia obseruauit. Et vidi multos qui ex vsu harum aquarum inceperunt nutrire, & accipere bonum sanguinem, cum antea essent extenuati, non quidem per se propter has aquas: sed per accidens, quia scilicet euacuabatur humor melancholicus & siccus. Et sic etiam propter humorem melancholicum conuenient hæc aqua. Post balneum si adhuc esset catarrhus, ponerem cauteria pro diuersione, ne ita vapores ascendere possent ad caput, & fiant circa vtrunque crus. Postea accipiat semper per interualla aliquid, ne aggerentur humores: vt sunt pillulæ illæ de tribus, quas maximè laudo ad hanc intentionem.

CONSILIVM CXXXIIII.

De dolore dorsi, ex destillatione frigida, pro mercatore Veneto, 1549. rectius ad Ischia dica referendum.

MANIF.